



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. Iustinianopolis aucta quoque dignitate Patriarchali. Sed differt à Iustiniana. Est eadem urbs cum Constantia metropoli Cypri. Ea dignitas personalis collata Ioanni Episcopo à Synodo Trullana, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

Daciam Mediterraneam, Daciam Ripensem, Mœciam superiorem, Dardaniam, Prevalim, secundam Macedoniam, & partem secundam Pannoniæ; ita ut Archiepiscopus earum provinciarum Metropolitanis det jura & ordinationes, ipsæque à Concilio suo ordinetur. Fateor has provincias Illyricianæ Dicceseos, distractas ab Ecclesia Theſſalonicenſi. Sed huic novitati eum colorem quæſivit Iuſtinianus, ornandæ patriæ suæ avidus Princeps, quod veterem consuetudinem, quæ bellorum tempeſtatibus deleta erat, restitueret in integrum. *Cum enim, inquit ille, in antiquis temporibus Sirmij præfectura fuerit constituta, ibique omne fuerit Illyrici fastigium tam in civilibus quam in episcopalibus causis, postea autem Aſilianis temporibus eiſdem locis devaſtatis, Appenninus Præfectus prætorio de Sirmisana civitate in Theſſalonicam profugus venerat, tum ipsam præfecturam & sacerdotalis honor secutus, & Theſſalonicenſis Episcopus non sua auctoritate, sed sub umbra præfecturæ, meruit aliquam prærogativam.* Quare cum plurimas Illyrici Occidentalis provincias armis recepisset, æquum esse putavit ut his Imperij partibus pristina dignitas sacerdotij restauraretur. Quod Vigilius Pontifex ratum habuit, & Archiepiscopo Iuſtinianæ vices suas delegavit per illas provincias quæ in Patriarchatu Occidentis sitæ erant. Vnde Patriarchæ nomen huic Archiepiscopo datum est à Curopalata & Barlaamo, & subscriptio ejus admissa in ordine Patriarcharum in Trullana Synodo, juxta mentem Illustrissimi Cardinalis Perronij.

II. Quamvis, ut verum fatear, in Synodi Trullanæ subscriptionibus non agatur de Iuſtinianæ primæ Archiepiscopo, sed de Ioanne Archiepiscopo novæ Iuſtinianopolis. Porrò urbs Metropolitana insulæ Cypri, quæ Constantia dicebatur, à Iuſtiniano Imperatore, cui familiare fuit clarioribus urbibus nomen suum imponere, Iuſtinianopolis dicta est. Ejus urbis episcopatum gerebat Ioannes, qui, Sarracenis Cyprium invadentibus, in Helleſpontiorum provinciam unâ cum plerisque insulæ illius incolis commigravit. Quare synodus Trullana de consensu Imperatoris duo quædam in gratiam Ioannis decrevit. Primum est, ut nova Iuſtinianopolis, seu Constantia Cypri, privilegiis sibi à Synodo Ephesina indultis potiat; id est, ut sedi Antiochenæ non subiciatur, sed fruatur plena libertate & αυτοκεφαλία. Quod Trullano canone sic concipitur, *ut illi jus Constantinopolitanæ sedis competat, τὸ δὲ δέχων ἔχει τῆς Κωνσταντινουπόλεως.* Alterum verò beneficium quod Ioanni in-

dulgetur hoc est, ut provincia Helleſpontii pleno jure illi subiciatur, ita ut ipsius quoque Cyziceni Episcopi provinciæ Helleſpontiacæ Metropolitanæ ordinationem celebret. Ex his duobus privilegiis, primum, quod Synodi Oecumenicæ Ephesinæ iudicio nitebatur, ad posteros manavit. Vnde in veteri Notitia temporibus Leonis Philoſophi concinnata rectè observatum est insulam Cypri non subesse apostolico throno Antiochiæ. Attamen in Collectione Arabica ordinatio hujus Metropolitanæ tribuitur Antiocheno Patriarchæ. Quæ innovatio accidit post Leonis Philoſophi ætatem, id est, post annum nongentesimum. Vnde Collectionis illius Arabicæ tempus colligere licet. Secundum verò privilegium videtur personale fuisse, in gratiam Ioannis Archiepiscopi. Vnde factum ut cum ipsius persona jus quoque illud extinctum fuerit. Quare non erat quòd Balsamo quærendum scriberet quomodo jure illo Archiepiscopus Cypri cecidisset. Ceterum quod attinet ad institutum meum, ex canone Trullano constat novum quendam & extraordinarium imò verò personalem Patriarchatum in provincia Helleſpontiacâ constitutum, collatumque Ioanni Archiepiscopo Cypri; id tamen factum auctoritate ecclesiastica, à plenaria Synodo Orientali, cui Patriarchæ quatuor intererant, quamvis huic innovationi Iuſtiniani Rhinotmeri Principis consensus accesserit. Idque eò facilius tentatum est, quòd dignitas exarchica Metropolitanæ Cypri antea competebat.

III. Ut autem redeam ad Iuſtinianum nostrum, in eo maximopere laudandus est, quòd etsi, ut erat novi juris appetentissimus conditor, multa in provinciis innovavit, singularem tamen curam gessit ne in sacerdotio aliquid mutaretur. Vtrumque Pontum in unam provinciam redegit, ea lege, ut Amasæ & Neocæsareæ urbibus metropolis nomen non detraheretur. *Nihil enim, inquit, circa sacerdotium illarum innovamus.*

Idem jus in Paphlagonia constituit, ita ut etsi illius Edicto gens Paphlagonum in unam provinciam coaluerit, nihil à veteri forma, quoad sacerdotium & duorum Metropolitanorum dignitates, decederet. Paphlagonia testamento Philomenis Regis in Romanam Rempublicam transcripta est, & in provinciæ formulam redacta. In oppido Gangrarum Rex illius gentis Dejotarus regiam constituerat, ut docuit Strabo. Inde Gangrensi urbi conciliata est metropolis totius gentis dignitas, quam in dispositione ecclesiastica constanter etiam reti-

Notitia Antiochæ.
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

Collectio Arabica
ca. x. & xvii.

Balsamo ad can.
39. Syn. in Trullo.

Nov. 28. ἐπιτομή
τῆς ἐπιτομῆς
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

Sextus Rufus.

Strabo lib. 11;

Nov. 11. ἐπιτομή
τῆς ἐπιτομῆς
ἐκ τῆς ἐπιτομῆς τοῦ

C. 11. Repl.